

alterius membra; cohaereant nempe invicem ut partes, et potissimum capiti Vicario Christi. Huiusmodi autem unio actualis esse debet; membra enim in corpore actu sunt unita: secus autem aliquis erit quidem potentia vel obligatione membrum, sed non erit actu membrum: quia deficit a communi communione sine qua societas non est. Iam vero si schismatici sunt Ecclesiae membra, Ecclesiae corpus ex schismaticis quoque constare dicendum erit, h. e. tum ex iis qui habent Romanum Pontificem ut caput, eique se subesse profitentur, tum ex iis, qui non habent eum ut caput, negantque ei subesse; item constabit ex iis, quorum una pars se ab alia separat, nullumque commercium cum ea in docendo, regendo, sanctificando habere vult; sicut enim schismatici a coetu catholicorum se separant, ita et hi eos refugiunt: atqui haec non est amplius societas una, non amplius habetur actu unum totum ex partibus, sed habentur plures coetus totales, qui poterunt habere invicem similitudinem quoad leges et fidem et sacramenta; sed non constituent amplius unum regnum, unum corpus, unam societatem, cum conspiratio communis prorsus perierit; ideoque haberetur vere in hac hypothesis Ecclesia scissa et divisa. « Ecclesia autem, quae catholica una est, scissa non est neque divisa, sed est utique connexa, et cohaerentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata » ut ait Cyprianus epist. citata. Ergo. Hinc patet solam fidem non sufficere ut membrum quis sit Ecclesiae, secus ac censuit Suarez.

Basilii Epist. 1^a Canonica ad Amphilochem can. 1^o tria distinguit, *haereses, schismata, parasynagogas*. Haereses ait appellatos eos esse qui penitus resecti sunt, et in ipsa fide abalienati. Schismata eos qui propter ecclesiasticas causas, et *quaestiones non insanabiles* invicem dissident (exemplum ponit in quaestione de poenitentia). Parasynagogas conventus illos qui ab immorigeris presbyteris aut episcopis et a populis indisciplinatis fiunt; velut si quis in delicto deprehensus a ministerio arceatur, nec se canonibus submittat, sed sibi principatum et ministerium vindicet, ac nonnulli una cum eo, relicta catholica Ecclesia, discedant. Advertere licet primo quod doctrina haec tradita a Basilio circa valorem baptismi ab haereticis collati, ad quam declarandam statuit ipse hanc triplicem distinctionem, non esse satis exactam ad normam Catholicae Traditionis, aut etiam veritatis historicae. Ceterum *causae ecclesiasticae*, propter quas schisma fit, ea omnia significant, quae ad regimen Ecclesiae spectant, cui schismaticus refragatur. *Quaestiones vero non insanabiles* dicuntur comparatae cum quaestionibus Fidei, et quidem fidei circa praecipua dogmata, cuiusmodi est dogma Trinitatis; fide enim huiusmodi labefactata nullum est amplius medium reparandae unitatis: at manente fide,

sicut manet aut manere potest in schismaticis, facilius dissensiones componi possunt. Discrimen vero inter schisma et parasynagogam est accidentale, si parasynagogi sive presbyteri sive Episcopi ita aliud altare constituent, ut nolint esse pars Ecclesiae quae eos punivit: est enim reapse schisma. Erit vero essenziale discrimen, h. e. parasynagogi erunt simpliciter inobedientes, si conventum seorsim ab Episcopo habeant ut invito licet Episcopo vel Metropolitano aut Patriarcha ministerium suum exerceant, quo se immerito privatos esse contendunt. Quae quidem ratio agendi facile frequens esse poterat ea aetate, qua fidelium conventus sacri penes unum Episcopum generatim fiebant saltem in urbibus.

Addit vero Basilius: « visum est ergo antiquis haereticorum quidem baptismum penitus reiicere, schismaticorum vero *ut adhuc ex Ecclesia existentium* admittere. » Schismaticos adhuc ex Ecclesia esse videtur Basilius e sua sententia affirmare ut rationem reddat illius diversae oeconomiae quam ipse antiquis tribuit. Ratione autem habita scopi Basilii ita eius verba accipere licet, ut ideo dicantur adhuc esse de Ecclesia schismatici quia adhuc retinent aliquid proprium Ecclesiae, nempe fidem quae veram formam suppeditat sacramento. Non secus ac inquit Augustinus de baptismo L. I. a. 3. « Itaque isti (haeretici et schismatici) in quibusdam rebus nobiscum sunt, in quibus autem non sunt ut veniendo accipiant, vel redeundo recipiant adhortamur. » Qui vero secundum quid nobiscum est potest esse simpliciter extra, quemadmodum sunt iuxta Augustinum haeretici, atque etiam schismatici. Cf. Maurinorum notas ad locum citatum Basilii.

Porro qui censent eos omnes qui veram habent fidem spectare ad Ecclesiam, videntur confundere (cf. Suarez l. c.) Ecclesiam a Christo institutam cum ea quae exstitit ante Christum, in qua prima solummodo lineamenta divinae Ecclesiae ducta erant et in qua proinde sola fides, aliquis actus sacer etsi non communis sufficiebat tunc temporis citra ullam perfecti nominis religiosam societatem. At instituta a Christo perfecta societate non licet asserere id nunc sufficere quod tunc sufficiebat.

III. Communio Sanctorum est consortium fidelium in participatione eorum bonorum quibus Christi corpus est ditatum. Haec porro sunt vel inamissibilia, vel amissibilia: ea sunt praedestinatio, et impressus animae character; haec vel interna sunt, vel externa: interna sunt ea quibus anima Ecclesiae continetur; externa sunt illa omnia, quibus exterior socialis vita constat. Hinc communionis privatio potest per se maiorem vel minorem amplitudinem habere. Excommunicatio, quae est Ecclesiae censura, privat tum externis bonis, tum licito usu potestatis ordinis.

Excommunicatio in iure alia est minor, alia maior: ea est quae separat a perceptione sacramentorum, haec praeterea a communione fidelium, socialique unitate *c. si quem de sententia Excommunic.* Excommunicatio maior et anathema non differunt quoad substantiam; superaddit hoc quidem excommunicationi aliquam sollemnitatem, et specialem execrationem. « Necatori pauperum, qui res pervadit Ecclesiasticas, psalmus 108 dicatur, ut veniat super eum illa maledictio quae super Iudam venit, ut non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur. » Ita Conc. Turon. can. 24. anno 570. Excommunicati excommunicatione maiore alii sunt occulti, alii notorii; et ex his alii tolerati, alii vitandi. Loquimur modo de excommunicatis notoriis, sive toleratis sive vitandis; per tolerantiam enim nullus favor conceditur excommunicatis.

Iam vero certum esse debet quod Ecclesia ius habeat efficiendi a se eos, quos suo consortio iudicat nocivos vel indignos; ita ut licet maneat nexus dependentiae, desinat tamen vinculum socialis communionis, et unitatis: id enim iuris competit cuique perfectae societati, quare ius mortis inferendae inest societatibus civilibus. Porro excommunicatio gladius est spiritualis, qui agit in Ecclesia id quod in populo Israelitico agebat interfectio, ut ait Augustinus q. 39. in Deuteron. Ecclesiae ergo negari nequit huiusmodi ius proiciendi aliquos a se ipsa, ita ut amplius non sint membra eius. Et sane Christus Matth. XVIII, 18. cum dixerit: Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus, subdit rationem: amen amen dico vobis quaecumque ligaveritis etc. Scilicet auctoritas Ecclesiae competit ita puniendi contumaces, ut ea poena eos plectere possit, propter quam habendi sint sicut ethnici et publicani. Cum publicanos memorat Christus, provocat ad id quod ea aetate inter Iudaeos contingebat, qui maxime abhorrebant ab illis, nec cum illis communicare volebant. Sensus ergo est quod qui Ecclesiam non audit habendus est tanquam si ethnicus esset et nunquam nomen Ecclesiae dedisset. Porro qui habendus est veluti ethnicus, nequit censeri Ecclesiae membrum. Ecclesia igitur potestatem habet plectendi hac poena eos quos ipsa dignos arbitretur. Quaestio ergo reliqua esse potest an Ecclesia hac potestate reapse utatur. Atqui id quoque certum esse debet. Sane persuadent id formulae quibus excommunicationis et anathematis vis explicatur. Victoris enim excommunicatio Asianis inflicta, vel intentata ita ab Eusebio refertur: « a communione abscindere conatur, et ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat » (L. V. c. 24) Epiphanius haer. XLII. quae est Marcionis, loquens de excommunicatione ei iniusta ab Episcopo, ait eum a proprio patre fuisse ab Ecclesia eiectum. Hieronymus in epist. ad Tit. III. ait peccatores

excommunicatos ab Episcopo *propelli extra Ecclesiam, quo per se ipsos sponte eunt haeretici et schismatici.* Frequentes formulae excommunicationis et anathematis ab Ecclesia adhibitae huc redeunt, ut qui hac plectuntur poena *dicantur separari a societate omnium christianorum: a limitibus S. Matris Ecclesiae in caelo et in terra excludi: ab omni societate et commercio Christiano excludi: a S. Matris Ecclesiae gremio segregari: a consortio totius Christianitatis eliminari:* praecipitur eos habendos esse *ut paganos non ut Christianos:* ac compellendos esse *redire ad ecclesiasticam unitatem.* (Cf. Capitularia Francorum edita a Baluzio Tom. II. Formulae excommunicationum. Theophilum Raynaud De monitoriis ecclesiasticis p. 2. c. 7.). Atqui his formulis manifeste significatur praecisio a corpore Ecclesiae, ut excommunicatus membrum eius actu non sit. Praeterea excommunicatus privatur iure omnis ritualis unionis cum Ecclesia, sive sacramentorum, sive sacrificii, sive publicarum precum, sive conventus ecclesiastici. Scilicet « a communicatione orationis, et conventus, et omnis sacri commercii relegatur, » ut ait Tertullianus Apolog. c. 39. desinit proinde in ipso vinculum unitatis ritualis; atqui omnia membra hoc vinculo coniungi debent; ergo. Quia vero homo ab Ecclesia abscissus non amittit potentiam poenitendi cum gratia Dei, et consequendi salutem, hinc proiectio eius ab Ecclesia nequit esse absolute perpetua, sed conditionata, *nisi resipiscat;* si enim resipiscit, recipiendus est in Ecclesia. Unde huiusmodi poena ita est poena ut simul in bonum peccatoris ordinetur ut territus redeat ad bonam frugem; ideoque est poena medicinalis.

IV. Catechumenus est teste Isidoro (De Eccl. Offic. L. II. c. 20) qui primum de gentilitate (vel alia simili secta non christiana) venit ad Ecclesiam habens voluntatem credendi in Christum, quippe in fide Christi instituitur ut tandem baptizetur. Fidem proinde catechumenus habere potest, imo et gratiam sanctificantem, si caritatis actum aut contritionis eliciat. Ipsum posse salvari si absque sua culpa sine baptismo decedat, certum est quia iam illud in voto habebat, et iam voto ad Ecclesiae corpus spectabat. Sed quaestio est utrum catechumenus credens iam hoc ipso sit actu membrum Ecclesiae. Non esse probatur ita. 1) Christus praestituit normam secundum quam in suam Ecclesiam homines adunarentur Matth. XXVIII, 19. Docete (discipulos facite) omnes gentes, *baptizantes eos;* ergo. Hinc Act. II, 41. dicitur: qui ergo receperunt sermonem eius baptizati sunt et appositae sunt (Ecclesiae Apostolorum) in die illa animae circiter tria millia. Et sane baptismus exhibetur is esse quo in Christi corpus h. e. Ecclesiam cooptantur homines 1. Cor. XII, 13 coll. Gal. III, 27; unde et baptismus comparatur circumcisioni qua populo Dei ad-

numerabantur olim homines Coloss. II. 11. Et re quidem vera in coetum Ecclesiae coagulari homines non possunt, nisi sacramentorum visibilium consortio colligantur, ut iam demonstravimus: atqui; ergo. Idem 2º Patres docent. Licet enim catechumeni appellentur Christiani a Patribus (August. in Ioann. Tract. 44. Interroga hominem. Christianus es? Respondet tibi: non sum, si paganus est aut Iudaeus. Si autem dixerit sum: adhuc quaeris ab eo: catechumenus, an fidelis?) non tamen vocantur *fideles*, seu ab iis distinguuntur; atque ita representantur ut fideles fieri debeant, in pietatis vestibulo versentur, adhuc intrare eos oporteat, atrium pertransire (Cyrill. hieros. Procat. n. 1. Nazianzenus in S. Baptisma Orat. 40) extra paradisum versentur, sociique sint exulis Adami (Nyssenus Orat. De baptismo). Praeterea cautum erat ut fideles ne domi quidem cum catechumenis orarent (Const. Apost. L. VIII. c. 36); ne praesentibus catechumenis fas esset sacramenta conficere, aut verba proferre, quae ad eorum formam spectarent (Synod. Laodic. c. 4), et ne praesentibus ipsis sacra oblatio apponeretur (Iulius I. epist. ad Orientales n. 12), utque sacramentum Eucharistiae celarentur Catechumeni (Tertull. Praesc. c. 41. August. in Ioann. Tract. XI. Cyrillus hieros. Procat. citata. Epiphanius haer. XLII). Atqui huiusmodi censeri nequeunt membra Ecclesiae. Rursus doctrina est Patrum Ecclesiam ex Christo filios gignere, viscera vero Ecclesiae in aquis esse baptismi, eodem Spiritu replente fontem, qui replevit et Virginem, ex alvo Ecclesiae effundi per manus Sacerdotis baptizantis, fide tamen pronuba, h. e. fidem praevertere debere ut quis nascatur, seu institutione quidem fidei in sinu Ecclesiae filios concipi, nasci vero et in lucem emitti baptismo (August. De Symb. ad Catechumenos L. IV. c. 1. Optatus L. II. c. 10. Pacianus Serm. De baptismo n. 6.). Atqui qui membra Ecclesiae sunt, in filios eiusque natos computantur. Quare Rituale Romanum in ritu baptismi adulti, qui institutus prius esse debet et credere, orationem praescribit qua oratur Deus ut renovetur ille fonte baptismatis et inter Ecclesiae Dei membra numeretur. Eugenius quartus vero in Instruct. pro Armenis docet homines per baptismum effici membra Christi et de corpore Ecclesiae: ergo.

§. XXIV.

Altera proprietas Ecclesiae est Sanctitas; eaque tum ipsi Ecclesiae essentialis, tum quae ex divina promissione semper erit in Ecclesia, quae quidem sanctitas cum potestate a Christo instituta veluti obnoxio principio sui est necessario connexa.

I. Sanctum dicitur in creaturis quod est Deo dedicatum. Sanctitas ethica, propria personarum, nequit haberi sine assimilatione et coniunctione cum Deo: ea est generatim rectitudo moralis personae coram Deo. Eaque est tum habitualis tum actualis: nimirum rectitudinis actualis, positae in exercitio virtutum, principium est intrinsicum quod habitibus continetur, idque in praesenti ordine supernaturali sunt habitus infusi et gratia sanctificans. Haec est sanctitas personalis.

Sanctitas realis triplex distingui potest; quatenus vel res sancta dicitur quia est divino cultui dedicata, ut templa, altaria: vel quia principium est quomodocumque sanctitatis personalis, ut sacramenta, leges; vel quia effectus et signum est interioris sanctitatis et inhabitantis Spiritus S., ut sunt charismata miraculorum.

Utramque sanctitatem realem et personalem Ecclesiae vindicamus: realem non tantum quatenus ea sit Deo dedicata, sed quatenus principium est sanctitatis personalis: personalem non tantum quatenus possint esse in ea sancti, sed quatenus actu semper sint. Sanctitatem hanc dicimus proprietatem Ecclesiae, cum aliqua tamen distinctione: nam sanctitatem realem dicimus esse proprietatem essentialem, ut sine ea nequeat esse et concipi Ecclesia: sanctitatem vero personalem sive habituales completam, sive actualem positam in exercitio virtutum, prout utraque non solum potestate (quod essenziale est) sed actu sit, dicimus esse proprietatem seu potius qualitatem necessariam eo quod Deus voluit promisitque futuram eam esse in Ecclesia sua. Praeterea adserimus Ecclesiae sanctitatem positam in charismatis, eamque proprietatem seu qualitatem eadem ratione necessariam esse contendimus.

Porro ad sanctitatem quod spectat advertendum est quod subiectum, de quo sanctitatem praedicamus, est Ecclesia prout est una societas: ut autem universa societas dicatur sancta sanctitate personali actuali, 1º opus non est ut singuli socii sancti sint, aut sint sancti perfecta sanctitate quae ex charitate habituali procedit, aut qui sancti sunt perseverent omnes; sed satis est quod plus minus floreat in ea perenniter cultura virtutum, sive perfectarum ut in iustis, sive imperfectarum ut in se disponentibus ad iustificationem, quae san-